

III

AD MAECENATEM

Iambicus

Parentis ōlim sī quis impiā manū
Senīle guttur frēgerit,
Edit cicūtīs ālium nocentius.
Ō dūra messōrum īlia !
Quid hoc venēnī saevit in praecordiīs ?
Num vīperīnus hīs cruor
Incoctus herbīs mē fefellit ? An malās
Cānidia tractāvit dapēs ?
Vt Argonautās praeter omnēs candidum
Mēdēa mīrāta est ducem,
Īgnōta taurīs illigātūrum iuga,
Perūnxit hōc Iasōnem :
Hōc dēlibūtīs ulta dōnīs paelicem,
Serpente fūgit ālite.
Nec tantus umquam Sīderum īnsēdit vapor
Sitīculōsae Āpūliae ;
Nec mūnus umerīs effīcācis Herculis
Inarsit aestuōsius.
At, sī quid umquam tāle concupīveris,
Iocōse Maecēnās, precor
Manum puella sāviō oppōnat tuō,
Extrēmā et in spondā cubet.